

briam, honestam, justam, piam, omninoq; illam,
 quæ cognitionem DEI & veræ sapientiæ osten-
 dat, formetis; id, quod dixi, intelligere & probare,
 ex multis perspicuum est. Unum dissimulare non
 possum. Scholam in patria nostra à majoribus
 sapientissimo consilio fundatam, à Deo inter col-
 lisiones regnorum, ruinas imperii, Ecclesiæ venti-
 lationem, tot nobilissimarum scholarum vastita-
 tem, præsentissima discrimina, magnamq; diffi-
 cultatem insigni patris clementissimi & nunquã
 satis prædicando munere conservatam, pro preci-
 osissimo *κειμηλίω* fovere atque ornare pergitis : ut
 in ea & pueritia & adultior juvenus non patriæ
 modò, sed, quod in primis splendidum huic Ci-
 vitati, & extera nobiscum fidei & spiritûs vinculo
 conjuncta, commodissimè atque diligentissimè Phil. 4.
8.
 ad omnia vera, gravia, justa, casta, amabilia, au-
 spicata, omnem virtutem ac laudem instituat
 & fingatur. Quòd si ullo modo ejus, quod à Sa-
 piente nostro dictum est, constat veritas, Qui pa- Eccl.
11.1,
 nem in aquã projecerit, eum in fine dierum repe-
 rire: equidem facilè adduci me patiar, ut cum vi-
 ris prudentibus & piis statuam, Hanc rem publi-
 cam istius cum primis beneficentiæ luculentum
 fructum reperisse, quòd hisce calamitosissimis